



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118634

§. 87. Lutetia a Calvinistis undique cincta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

lassus operiebatur, porro conjunctæ omnes rebellium copiæ duo equitum, & octo peditum millia efficiebant, novo ad eas quotidie conflente milite.

Sæcul. XVI.
A. C. 1567.

§. LXXXVII.

Lutetia a Calvinistis undique cincta.

Postea distribuebatur rebellium exercitus, & quidem pars cum Condæo Principe in Dionysii oppido permansit, quibus copiis Carnutum Vice-Dominus, Barbanonus Canius, Franciscus Comes Saulius, Nicolaus Campanus Suisæ Comes, & alii duces præerant: pars autem alia cum Colinio maris Præfecto, Andeloto fratre, Claromontio Ambofiano, Rentio, aliisque ad Audoeni oppidum, quod est Sequanæ impositum, processit: Hangeftus vero Jenlius, Varda, aliique ad lævam Ambervillerium pagum pro hospitio habuerunt: porro hi duo pagi se tanquam cornua, quibus S. Dionysii oppidum tegebatur, porrigebant, ibique exercitus robur erat, dum ex altera parte ceterius erat missus Mongomerius Comes, ut Borgetum pagum in via, qua Silvanectum, & Claromontium itur, occuparet: obstructo igitur ea parte omni ad urbem Parisiensem per terram aditu Claromontius Ambofianus pergere jubetur Charentonium, qui pagus ad

Thuan. l. 42.

Sæcul. XVI. A.C. 1567. Matronam pontem turre munitam habet supra confluentem, ubi ille, qui turri præerat, vix expectato hoste statim deditionem fecit, ob id postea Lutetiæ capite plexus: turre igitur aperta, & Latiniaco jamjam occupato, sub idem tempus adjuncto sibi Montgomerio Comite Andelotus cum quingentis equitibus, & delecta peditum manu Possiacum proficiscitur, ut copiis, quas Albæ Dux in Franciam ductore Arembergio Comite transmissurus esset, aditum intercluderet: ast cum Andelottus Possiaci hæreret, interim intercluso a regiis copiis transitu ad suos in tempore reverti, & prælio mox commisso interesse non potuit.

§. LXXXVIII.

Publicæ Parisiensium indignationes ob annonæ penuriam.

Thuan. & Popel. l. 12. Mainbourg hist. du Calvin. l. 5. pag. 193.

Supererat adhuc conjuratis expugnatione Argentolii, quod prope Sequanam oppidum est infra sancti Dionysii civitatem situm, ac nonnisi dirutis mænibus cinctum, nec ulla ferme fossa munitum, quod Burrius occupare jussus sine magno negotio armis suis subjecit: expugnabant pariter rebelles Bufenvalliam arcem trans Sequanam, inde vero captabant securam opportunitatem viæ, per quam suis excursionibus

ex